



2b. 15



ORATIUNCULA  
IN FUNERE

48.

56

*Amplissimi, Excellentissimi & Con-  
sultissimi Viri*

DN.  
D. MATTHÆI CUNONIS  
JURIS CANONICI IN ACA-  
DEMIA VIADRINA PROFESSORIS  
& Amplissimæ Juridicæ Facultatis  
Ordinarij

Peractis exsequijs ante ædes defuncti  
pro more habita.

à

CONRADO BERGIO,  
S S. Theol. Doct. &  
Profess. P.

*d. 29. April. Anno 1624.*



FRANCOFURTI

Exscripta

Typis MICHAELIS KOCHII.



Supremum hominis diem, Magnifice  
Dn. Rector, Viri Amplissimi, Reve-  
rendi, Consultissimi, Excellētissimi,  
Clarissimi, Prudētissimi, honoratissi-  
mi, Juvenes nobiliss., præstantissimi;  
Supremum, inquam, hominis diem,  
ita plerumq; divina oracula indicare  
solent: ut eum qui è vivis excessit ob-  
dormiisse dicant, *cum patribus suis*. Et hæc quidem com-  
munis est appellatio fatalis exitus: sive ita vixisset is qui ob-  
ierat, ut reverâ mors illud esset quod dicitur: sive pietatis  
effecisset studio, ut extremus vitæ hujus terminus, nihil ali-  
ud esset quàm melioris vitæ nativitas. At si quod & *ætatis*  
simul provectæ, & *prosperitatis*, & *pietatis* exemplum sin-  
gulare extiterat: peculiari etiam ferè loquendi modo vo-  
luit id ipsum scriptura exprimere. De Isaaco inter alios, in  
Genesi Moses, *Mortuus est, inquit, senex & satur dierum,*  
*& aggregatq; est ad populos suos.* Quo epitaphio alios præ-  
ter *Abrahamum, Isaacum, Davidem, Jobum,* & peculia-  
ribus in Judæorum Rempub. meritis insignem, Pontificẽ  
*Joadam,* honoratos in divinis literis fuisse vix observabi-  
tur. Satietas autem illa dierum, & *felicitatem* hujus seculi  
quandam, & ex malorũ patientiã *experientiam vanitatis,*  
& diviniore vitæ *desideriũ* continere videtur. Si quis enim  
egestatis & afflictionum impatientiã vitam hanc oderit,  
non magis illum saturũ appellare potes, quàm qui, cum ex-  
remè esuriat, adversos stomacho suo cibos rejiciat nauseã.  
Rursus

Rursus, cum non possimus nolle retinere illud, quod molestiam nunquam attulerit; si molestum, si triste nihil sentiamus in vitâ, *pleni* quidem *dierum* aliquando esse poterimus, quâ voce Jeremias alicubi utitur, saturi autem non magis dicemur, quàm qui, cum multa sumserit edulia, plura desideret. In eo autem alia est *ventriculi*, alia *animi* satietas, quod, cum stomachus sæpè cesset ab appetendo, animus nunquam; fieri potest, ut ille uno reffectus cibi genere, ne alium quidem illicò requirat: animus nunquam præsentivitâ satiari potest, quin eo ipso meliorem aliam continuo anhelet. Itaque abundantia secundarum rerum; inter quas vel primum locum obtinet *gloria* (gloriam cum dico eam intelligo quæ virtute parta sit; laus enim & fama aliunde quàm ex solidâ virtute nata, inflare animû fortassè potest, alere non potest) *abundantia* igitur secundarum rerû necessaria est, ut *pascamur*: *adversitates* ut *repleamur*: Quod si & pasti & repleti vitâ fuerimus, ut ad aliam porrò *aspiremus*, animo sua ipsius quodammodo *natura* præstat.

Ex his intelligitur, omnium quodammodo laudum summam quam brevissimè comprehendi, si de quopiam ita dixeris: *Mortuus est satur dierum*: uno enim verbo, & *virtutem* opum ac famæ genitricem, & ex difficultate rerum humanarum, *de earundem vanitate edoctam mentem*, & *pietatem* ei tribueris. Nullû enim est certius pietatis indicium, quàm cum affluentem plurimis rebus vixeris vitâ; vitâ tamè sine impatientiâ ac ambitione posse cõtemnere.

Non ego nunc illum dicendi campum ingrediar, ut ostendam

stendam etiã in *Eum*, cujus de hãc quasi vitæ cænã reliquias  
sub terrã condi vidimus, *Ampliss. & Consultiss. Virũ Dn.*  
*D. MATTHÆUM CUNONEM, Juris Canon. Profess. &*  
*Ampliss. Facult. Jurid. Ordinarium*, elogium illud, quod  
dixi, posse competere. Quanquam ego hic felix esse pote-  
ram: eò quod rei ipsius & materiæ ubertas, pauperi linguæ,  
aliquam facundiæ opinionem videatur conciliare posse.  
Sed Illi, quorum viventium honori accedit, quod à vobis  
defuncto tributum est, ita sese obligatos profitentur eo of-  
ficio, quod exequiali huic solēnitati honorifica vestra præ-  
sentia præstitit: ut non *re ipsa* tantum vos & vestros, lætiori  
tamen, quod optant, casu, vicissim honestare velint: verũ-  
etiam *verbo*, sive *noxio* lædere, sive *intempestivo* detinere,  
nefas & indecorum esse existiment. Quapropter obnixè  
rogaverunt, solam hanc orationis elegantiam consecraret,  
ne quã prolixitate vobis molesta esset. Non diffidimus, vel  
*memoriæ* vestræ, in retinendis ijs, quæ hãc ipsã horã labente  
audivimus publicè: vel *diligentiæ* in legēdis ijs, quæ mani-  
bus tenetis: vel in judicādis omnib. *equitati & perspicaciæ*.

Illis duntaxat paucis respondebimus, quibus fortasse  
nimium videri queat, eo elogio nostrum hoc funus pro-  
sequi, quod vix quinque, ijsq; *sanctissimis* juxta, si paucos  
quorundam lapsus, & *felicissimis*, si difficiliorum exercita-  
tionum vicissitudines excipias, divinitus evenisse legimus.  
Quis enim existimet, nostrum etiã seculum taliũ virorum  
ferax esse, qui Abrahamo, qui Isaac, qui Davidi, qui Jo-  
bo, qui Jojadæ, sine injuriã & assentatione cõferri queant?  
Id qui-

Id quidem tantò minus hoc tempore credi potest, quantò  
ad lapsus pleriq; & nãvos aliorum, quàm ad virtutes & me-  
rita oculatiores sumus. Diversam enim ab oculis naturam  
hoc in genere mens hominis obtinet: *oculi* quod clarum  
quodq; candidū est cernūt maximè: animus si quid obfu-  
scat aliorū mores, id acerrimè observat: quod in illis splen-  
didum est, quod candidum, aciem judicantis plerumq; ef-  
fugit. Imò & *virtutes ipsas invertit invidia*, ut verè Poëta  
queritur, & *sincerum vas, vitiosis titulis incrustat*. Qui ut  
majoribus sufficiant negocijs, minora quandoq; negligūt,  
*ignavos* nominat: qui sanitatis ac vitæ prodigi non sunt,  
*molles ac delicatos* nuncupat: qui simulare aut fallere ne-  
sciunt, *stultos ac stupidos* appellare solet. Davidis imò etiã  
ipsius tempore, cum primum Absolone, & extremã rursus  
senectã regis, Adoniã Duce, subditi, eum quem DEUS &  
virtus ipsis præfecerat principem fastidirent: quot tum fu-  
isse existimatis, qui plura regis vitia numerarent quàm me-  
rita? Nunquam enim illi de rebellionē cogitassent, si idem  
tunc fuisset ipsorum, quod nunc est nostrum de Davide ju-  
diciū. Sed non poterant illi numerum benè malève fa-  
ctorum ritè inire, qui si *unã in re essent offensi, beneficia*  
obliviscebantur fortassis *decem*. Illos demum non fallit  
summa, qui nec lædi amplius nec juvari possunt, hoc est, po-  
steros. Absit tamen à nobis, ut ex decrepitã hãc mundi æ-  
tate, quenquam omninò velut æmulum opponamus san-  
ctissimis illis felicioris ævi luminibus. Non hoc quæren-  
dum est, an aliqui ex nostris æquent illos? Hoc enim de-

speratur modestius: sed quinam ex nostris propius ad illos  
videantur accedere? Non est nostrum vel adulatione ad-  
dere quicquam, vel detrudere invidiâ. Vestrum iudicium  
vestra existimatio esto, quatenus dierum plenitudo ac sa-  
turitas, quæ quinq; duntaxat viris à scripturâ tributa legi-  
tur, in Illum etiam accommodari possit: cui, ut notum est  
omnibus, *virtus* rem & gloriam, amicis, Ecclesiæ, paupe-  
ribus fructuosam; cui *etas*, rerumq; vicissitudo, junctum  
cum patientiâ, mundi fastidium; cui ad compertam vitæ  
hujus vanitatem, *sacra lectio & meditatio* accedens, solidi-  
oris vitæ desiderium attulit. Inter alia quæ vel meminisse  
recordando, vel legendo etiam cognoscere potestis, non  
parum nos movere debet: quod in extremo senectutis suæ  
morbo, ita non spernebat corporis medicinam; ut tamē  
quod sarciebat quasi *indumentum animæ*, *exuere mallet*; &  
quas fulciebat ædes, optaret deserere. Faciebat nimirū quod  
omnes debent, qui perfectiorem pietatis gradum consecu-  
ti, planē non jam sibi, sed DEO vivunt: ut nempè exces-  
sum quidem ex *terrestri hoc tabernaculo* suspirent; ne car-  
nem magis suam amare videantur, quàm DEUM: & præ-  
sentem tamen vitam, quibus possint modis conservent; ne  
id quod dedit DEUS, indignatione videantur magis *abij-  
cere*, quàm *spernere* divini habitaculi desiderio. Tali  
sigillo cum suam nobis pietatem probaverit Is, cui iusta  
persolvimus, in eam profectò sententiam animus inclina-  
re debet, ut existimemus, quicquid ab illo vel benè ante hac  
unquam gestum, vel peccatum, (quis enim est homo qui  
non



non peccet) vel toleratum est: eò id omne pertinuisse, ut partim *lactatus* dulcibus, partim insuaviorũ etiã aspersione à dulcibus *ablactatus* (quã pios educandi rationẽ Psalmographus alicubi innuit) eã dierũ satietate bearetur, quæ nõ nisi paucissimis à divinã benedictione solet contingere.

Nos autem, Viri omnium ordinum eminentissimi, non decet deplorare illum, qui quo satiatus erat, frui desiderit: quique, ut superioris nostri epitaphii voce rursus utar, non tam segregatus est à mortali & visibili hoc populo, quàm *ad immortalẽ eumq; meliorem populum aggregatus*. Ignoscite, quod meliores appello, ad quos *accedimus* morte nostrã, quàm quos ex hac vitã exeuntes *amittimus*. Istam enim vocem calamitatis & infirmitatis nostræ sensus, omnibus vel invitis extorquet. Equidem non probo *Theræos*, quos memorant nunquam solitos fuisse lugere illos, qui quinquaginta annos vivẽdo complevissent, quasi, qui eã essent ætate, satis jam vixissent diu. Minus tamen illi accusandi essent, si non *annos* spectassent morientis, sed *affectum*: si hos, quorum consortium nobis relinquere durum est, ad illos ritẽ comparare scivissent, quorum amore & desiderio, durũ nobis videri debebat, in ærumnoso hoc & parum læto consortio diu detineri. Hujus quidem rei consideratio efficit, ut quæ vox gratiis agendis potissimum inservire debebat, in preces & in vota malit erumpere. Insignis est nominis CUNONIANI, & illorum qui istius nunc Personam gerunt, virtus ac dignitas. Insigne officium vestrum, Magnifice Dn. Rector, cæteri que Viri  
splen;

splendidissimi, honoratissimi, Juvenes florētissimi; quod honores quos defuncto, eo studio & diligentia quā videritis, amor & necessitudo habere jussit, tantā frequentia adjuvisti. Sed & ego nomen CUNONIANUM, ejusq; propinquos, affectu prolixiori quā sermone prosequor: Et vos fructum beneficii vestri magis in affectu illorum (quem ipsorum nomine vobis spondeo) quā in oratione meā experiri volo.

Illud modò omnes unicè optare debemus, ut & nobis aliquando intelligere liceat, quantò suavius, quantoq; utilius sit, meliorum & plurium illorum consortio aggregari quos præmisimus, quā morari apud illos, quos hinc discedentes relinquimus. Cū autem nemini tutior sit ad illos via, quā qui præsentibus bonis satiatus fuerit, hoc precemur; ne nos prius ex hac vitā evocari cōtingat, quā nulla amplius fames ad fluxa hæc orbis nostri bona cupidus respectare coegerit. Non quod existimem omnes felicitates, omnesq; adeò annos hujus viri, quem modò deduximus, nobis pariter adæquandos esse; aliud enim est *satis*, aliud *diu* vivere: nec refert quicquam, cum prandeas, quod alius longiori tempore accumbat, si tu breviori fortassè tempore replearis utilius; Sed hæc est summa voti; ut ex *virtute ac felicitate nostrā aliorum prius utilitas* augeatur; & ex *adversitatibus* nostra *pietas* crescat; donec ad æternam illam patriam, judiciolo quodam visibilium fastidio, & maturo invisibilium desiderio aspiremus.

D I X I.



Ja 666



ULB Halle 3  
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



UNCULA  
UNERE

48.

56

ccellentissimi & Con-  
sissimi Viri

DN.  
ÆI CUNONIS  
NICI IN ACA  
NA PROFESSORIS  
Juridicæ Facultatis  
linarij

is ante ædes defuncti  
ore habita.

BERGIO,  
col. Doct. &  
ofefs. P.

Anno 1624.



COFURTI  
cripta  
ÆELIS KOCHII.